



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XIX. Epistola Honorij Pontificis ad Othonem Episcopum Halberstattensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Epistola Honorij Pontificis ad Othonem Episcopum Halberstattensem.*

**H**onorius Episcopus servus servorum Dei, Venerabili fratri Ottoni Halverstatensium Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Grauis ad nos de persona tua querela peruenit. Accepimus enim, quoniam Halverstatensem Episcopatum per laicalem violentiam, & quod detestabilius est, per simoniacam hæresin occupasti. Quantum autem flagitiosam istam pestem simoniacæ hæreseos sancta Dei Ecclesia abhorreat, Petrus Apostolus in principio nascentis Ecclesiæ manifestat, quæ Simonem Spiritum sanctum vendere volentem cum sua pecunia condemnauit. Si ergo huius sceleris te reum esse cognoscis, satius est, ut cedas, & delictum tuum in hac vita penitentiâ, quam ante oculos districti iudicis iudicandus appareas. Datum Beneuenti XV. Kal. Nouemb.

*Epistola Babebergensis Ecclesie de Hermanno ad quendam Episcopum.*

**R**uerendissimo Episcopo, & in Christi membris valde honorando E. tota Babebergensis congregatio deuotissimam seruitutem cum perpetua orationum constantiâ.

Susceptis literis sanctitatis vestræ, quibus animum vestrum graui admiratione pulsari dicitis, quod rem tantam, & tam inuisitatum priuata quasi temeritate præsumpsimus. Omnino intelleximus, totum negocij tenorem longè aliter vobis, quam res esset, innotuisse. Quamobrem, ut & discipline Ecclesiasticæ apud nos illibata integritas, & totius actionis veritas, semotâ omni falsitatis nebulâ, elucescat; rem gestam, quantum

*Pro huius epistola clariore intellectu lege Greg. VII. Pontif.*

*Lib. 2. Registri epist. 76. Et lib. 3. epist. 1. 2. 3. Et lib. 1. epist. 84.*